

DE  
*SINGVLARI LACEDÆMONIORVM  
LIBEROS EDVCANDI  
RATIONE*  
*QVAEDAM AD L. PLVTARCH. IN LYCVRGÓ  
EDIT. XYLANDR. p. 50.*  
DISSERIT.

ET  
**ORATIONES  
VALEDICTORIAS**  
IN FRANCISCANEO MISENENSI  
H. L. Q. C.  
PVBLICE HÁBENDAS  
INDICIT  
M. ANDREAS CHRISTIANVS CLEEMANNVS  
RECTOR.

Lit. Graec.

B.

2108,20

DRESDAE LITTERIS HARPETERIANIS,



vantum intersit reipublicæ bene sapienterque constituta, ut juvenes in publica Societatis humanæ commoda nati a tenerima ætate ad virtutis culturam excitentur, & ad patriæ usus promovendos reddantur aptiores, ex omnibus, quas sanctior antiquitas celebrat, gentibus Lacedæmoniis, potissimum cognovisse, luculenter sane ex Plutarcho Xenophonte aliisque comperimus. Crevit Atheniensium civitas ac immortalitatis laudem sibi peperit singulari sapientum virorum multitudine, qui virtutis præceptis & profunda sapientia disquisitione inclauerunt; ast iis major jure quodam habita (a) sapientia est Laconum solertia, ut qui non abstrusis de virtute institutionibus, non infinitis philosophandi rationibus, sed seria perque omnem vitam instituta virtutis meditatione aliis antecellere ac sedula liberorum maxime educatione sibi suisque civibus consulere allaborarunt. Quæ res quam certa sit, constabit clarius, si pauca tantum de eorum singulari liberos educandi ratione ex Plutarcho adlata hic collustravimus.

Quemadmodum Laconum respublica crebris Atheniensium aliorumque impressionibus subinde afflictata tot hostibus par esse nequam poterat, nisi gauderet civibus, qui & animos exsolverent voluptatum vinculis, & corporum vires perpetua exercitatione ad belli ferenda incommoda adaugerent: ita omnes fere legum rationes, quas in educandis instruendisque liberis suis seqvebantur, ex hac temporum & civitatis misera conditione sunt petendæ. Hinc Lycurgus ille, (b) cuius memoriam singulari in templo legislatori huic dedicato pie postea recolabant, eo respexit, ut tum publicis Sacris tum civilibus quibusvis negotiis ad utriusque culturam concitarentur juvenes.

Qvod

(a) Comparavit potissimum Bossuetus Laconum atque Atheniensium inter se mores & instituta, ex quo potiora retulit eruditissimus Rollinus in T. IV, *Histoire Ancienne* p. 482.

(b) Strabo L. VIII.

EDIDIT ET QM. REQUITIS. KACPER. 1711

Qvod itaque Cicero (c) præclare docet, nos patriæ esse natos, id Spartanis quondam fuit incitamento, ut liberos recens natos non parentum sed reipublicæ curæ ac potestati committerent, ita ut liberorum ferre communionem Spartæ fuisse omnino certum sit. Commemoratu digna præsertim sunt (d) Plutarchi verba, quæ cum singularia hæc laconicæ disciplinæ educationisque liberorum instituta maximam partem in se continent, præsertim hic a nobis erunt explicanda: ἐδεν ἐξῆν, inquit, ἐκάστῳ τρέφειν γὰρ παιδεύειν, ὡς ἐβέλετο, τὸν οὐτον, οὐλα πόντος εὐθὺς ἐπταχεῖς γενομένες παραλαμβάνων αὐτὸς ὁ παιδονόμος εἰς οὐγέλας κατελόχιζε καὶ συνόμενς ποιῶν καὶ συντρέψεις μετ' οὐλήλων ἔπιζε συμπάγειν καὶ συχολάζειν. Non poterat quisquam pro arbitrio suo alere vel instituere filium, sed omnes, ut septimum annum excesserunt, centuriavit ipse paedonous in classes, parique libertate unoque contubernio colludere inter se & studiis vacare docuit. Nolo hic anxius in hujus instituti æquitatem inquirere, quum vel naturæ leges potestatem parentum educationis finibus dimetiuntur atque determinant, qui ex reipublicæ conditione patent; id saltem certum est, ea lege cautum esse, ne nimio amore, quo plerumque natura in liberos feruntur parentes, genio suo indulgent pueri, mollibusque affecti moribus, effeminati demum evadant cives. Eodem fere consilio (e) Romanorum quamplurimi sibi suæque naturali propensione diffisi liberos suos non domi alebant, sed fratribus educandos dabant, quod apud eos esset & generis caritas & paterna in eos abesset indulgentia.

Qvod sane propositum eo felicius asseqebantur Spartani, quum liberis ejusmodi virum adjungebant, qui non sapientiæ tantum præceptis sed & probitate virtutisque exemplo suo eorum mores formabat. Multo enim sapientiores ea in re erant reliquis Græcis atque ipsis etiam Romanis. Hos enim tam imprudenter sapius egisse demonstrat (f) Pignorius, ut servos animo elatos præfecerint liberis. Quid? quod

(2)

Clau-

(c) v. ejus libr. de Offic. L. I. c. VI.

(d) in Lycurgo Edit. Xylandr. p. 50.

(e) Volat. L. XXX. & Alexandr. ab Alexandr. L. II. c. 25. Hinc illud Satyrici: Dum sapiens patruos.

(f) v. ejus. libr. de servis p. 236.

Claudius ipse Cæsar, teste (g) Svetonio, jugario usus est pædagogo. Scilicet ut in qvolibet magistratu (h) eligendo eorum maxime habebant rationem Lacedæmonii, qui virtutis & temperantiae laude erant præstantissimi: ita puerorum educationem gravissimum arbitrati opus, ad Lycurgi præscripta viros iis præesse voluerunt, qui ad res maximis momenti civiles gerendas essent apti atque compositi. Hi (i) παιδονόμοι dexteritati suæ commissos, exploratis ante eorum viribus, ex civitatis lege in qvasdam ἀγέλας distribuere, ac ne essent sine monitore, cuique classi præfecerunt & ingenio & ætate adultos, qvibus subesse cogebantur. Et qvam sapienter eo modo plurima peccata sunt sublata, cum peccaturis, ut (k) Senecæ utar verbis, subinde adfisterent testes. Qvam provide simul superiorum imperio parere legibusqve subesse discebant. Qvod si enim summa societatis humanæ felicitas eo innititur obseqvio, qvo cujuslibet ordinis cives officii sui habent rationem, qvid sane laudabilius esse potest eo rei publicæ instituto, qvo pueri in perpetuam qvæsi obedientia pietatisqve adducuntur consuetudinem. Ex hoc etiam fonte Laconum felicitatem deduxisse videtur (l) Theopompos, qui viro nescio cui, Spartanorum incolumentem ex principum regumqve sapientia derivanti bene respondit, felicem omnino Spartam esse, qvod aleret cives, qui obtemperare nossent.

Addit denique Plutarchus noster, pari libertate unoqve contubernio collusisse studiisqve vacasse omnes Spartanorum liberos. Lycurgi videlicet lege interdictum erat, ne qvis pater indulgentior vel ex inepta facilitate vel ex nimia profapiæ suæ divitiarumqve confidentia severiori huic subduceret disciplinæ liberos. Qvam legem si qvis migraverit, (m) οὐ μετέρχε, inquit, τῶν τῆς πόλεως δικαιῶν. Tam sancte inde qvoqve huic satisfactum est instituto, ut nec Agesilaus clarus regis filius iisdem exsolutus fuerit vinculis. Sapientissima autem præcepti ejus videtur fuisse

(g) Suetonius in vita Claudi C. II.

(h) v. Plutarch. l. c. p. 50.

(i) plura de his collegit Cragius in libr. de Rep. Laced. II 12.

(k) Epist. II.

(l) v. Plutarchi Apophthegm. Lacon. p. m. 221.

(m) v. Plutarch, Instit. Lacon.

fuisse ratio. Ita enim docebant pueros, hominum animos non divitiis atque possessionibus, non potentia sed virtute nobilitari, nec magni æstimandos cives ob rerum omnium affluentiam, sed ob egregia merita, ob honorificam senectutem ac sapientiae eminentiam. Praetclare hoc testatur (n) Justinus, qui Lycurgum maximum in republica honorem non divitum & potentum sed pro gradu ætatis senum esse voluisse, clarus exponit. Non itaque heroum filii propter parentum fortunas licuit esse tam audacibus, ut his tantum freti turpi disfluerent otio, sed iisdem legibus eademque obligatione tenebantur cum pauperibus, ut cives civibus aliquando esse possint emolumento.

Qvod vero Spartanorum pueros liberaliter ita instructos duce patronomo, studiis vacasse asserit Plutarchus, id non tam ad humanitatis litterarumque disciplinam, quam corporis exercitationes pertinere & ratio statusque laconicæ reipublicæ & veterum confirmant testimonia.

Qvod si enim (o) Aeliano habenda fides est, omnium artium culturam adeo habuerunt despiciatui, ut, si viros litteratos adesse e re esset publica, ex aliis eosdem advocarent civitatibus. Quid? qvod Ciceronem scimus in Bruto suo scite profiteri, neminem unquam Lacedæmonie esse compertum, qui eloquentiae studiis laudem sibi peperisset, id qvod simul (p) ex abrupta illorum & affectata dicendi ratione colligitur. Tam altas eorum in animis egerat radices Lycurgi sententia, non ingenuis artibus, sed corporis exercitio sibi viam ad bene beateque vivendum esse aperiendam. Hinc deducendæ puerorum decertationes & duriora virtutis excolendæ remedia, quæ ex (q) Cretaredux factus suis commendavit Apollinisque auctoritate firmavit.

Tot tantisque corporis virium exercitationibus, quibus artem rhetoriam & philosophiam turpiter posthabebant, tantum tamen absuit, ut omnem ingenii civilisque prudentiae culturam neglexerint, ut potius pueros egregia laude cohonestaverint, qui qvadam ingenii acumine

(3)

con-

(n) L. III.

(o) v. ejusdem Var. Hist. L. XII. c. 1.

(p) v. Meursii Misc. Lac. L. III. c. 3. seqv. & Cicer. Brut. c. 13.

(q) Summatim ac breviter has Cretensium leges exposuit Rollinus, quas secum attulit in Græciam Lycurgus T. IV. Hist. suæ p. 389.

consiliisque tectis vincerent alios. Intelligitur hoc vel ex ipso Lycurgi  
instituto, quo dux, qui blande agendo callidisque artibus rem susceptam  
conficerat, immolaret numini bovem, qui vero acie & armis gallum  
gallinaceum. Laudi enim majori ac decori erat negotium viro dicendi  
facultate atque solertia quam vi exactum. Varia cum laudabilia tum  
detestanda rei hujus specimina Plutarchus memoriarum prodidit. Jure  
nostro hic ea filemus, quae genti huic sagaci sempiterno erunt oppro-  
brio, quod scilicet pueris eum in finem subduxerint cibum, quo (r) furtar  
& fraudes meditantes ingenii exacuerent vires, ea tantum in medium  
prolaturi, quae nostris exemplo esse possunt. Referimus hic potissimum  
publica Laconum convivia sobrie instructa, quibus tanquam virtutum  
disciplinarum eorum liberi etiam interesse cogebantur, ubi exacta laudabili-  
ter puerili aetate ingressi erant adolescentiam. Solemnies hos inter con-  
ventus eminent maxime (s) φιλία, quae Strabone & Athenaeo testibus,  
anno τῆς φιλίας amicum hoc nomen erant indepta. Quibus in conses-  
sibus ut gravissimi de republica & negotiis civilibus agebantur sermo-  
nes: ita ceu in sapientiae quadam schola sales inter ac jocos & civitatis  
instituta & convenientissimas ejusdem moderanda rationes sensim sen-  
simque addiscebant. Qvo etiam civium secreta tuerentur, nec inconsul-  
to ea unquam aliis aperirent memores divinæ taciturnitatis, ingredien-  
tibus adolescentibus senes acclamassem (t): sermo hinc non egrediatur,  
idem Plutarchus noster plus vice simplici testatus est. Quibus rebus fa-  
ctum est, ut quae nostris temporibus tantopere saepius obsunt juventuti  
convivia, hic illi cederent summam in utilitatem.

Quemadmodum autem ingenia juvenilia exemplis virtutum magis  
quam sapientiae praceptis ac institutione ad sanitatem reducuntur; ita  
epularum harum delicias non tam corporis quam animi metiebantur  
voluptatibus. Quid enim præclarus Xenophontis (u) testimonio, qui  
patrio apud eos more usuque receptum esse dicit, ἐν τοῖς φιλίτοις λέ-  
γεσθαι οὐ τι ἀλλῶς τις ἐν τῇ πάλει ποιήσῃ. Ne tamen festiva adoles-  
cen-

(r) Plut. l. c. & Jo. Sig. Gribneri Diss. de furti apud Lacones licentia;

(s) Strabo. L. X. & Athen. L. IV. Dipnosoph.

(t) Plut. l. c. p. 46.

(u) de republ. Lacedæm.

centium ingenia ex gravitate rerum sermonumque nimia tedium cape-rent, (w) sale atque facetiis crebro utebantur. Sic per jocum desides ad quodvis bonum inflammati, scelerati sermonis lepore castigati, ac qui bona erant indolis, gloriae & honestatis laude sunt accensi.

Ex his Spartanorum institutis derivandum quoque jus est senibus vindicatum, civium cuiusvis liberos monendi & ad virtutem excitandi. Videlicet ea est senectutis indoles atque conditio, ut quod canitie spectabilium detrahitur corpori ejusque viribus, menti eorum atque ingenio experientia judicandi que accedit facultate. Ecquis enim felicius aperi-re aliis potest vias ac rationes pie & honeste consenescendi, quam qui per varios casus rerumque vicissitudines ipse ad summam pervenerunt sene-ctutem. Induxit illud magnum illum Lycurgum, ut quum liberos civi-tati natos sanciret lege, senes quasi communes eorum constitueret (x) parentes. Quo quidem nomine ambulantes per vicos solerter exami-nabant, expiscabantur suscepiti ab iis negotii causas, petulantiores per-stringebant, nec non ubi vis duces atque svasores erant errantibus; qua disciplinæ severitate in officio continebantur, donec inter viros essent recepti, quod tricesimo quinto ætatis anno esse factum vult (y) Hesychius.

Non possum non, quin hic præclarissimi (z) Rollini adjiciam verba, in quibus pietatem omnem atque observantiam, qua Spartæ cives commoda & leges reipublicæ suspiciebant, ex hac circumspecta liberos educandi ratione eleganter deducit: *La religion du serment auroit été un foible lien, si par l'éducation & la nourriture il n'eut imprimé les loix dans leurs moeurs & ne leur eût fait sucer presque avec le lait l'amour de sa police. Aussi vit-on, que ses principales ordonances se conservèrent plus de cinq cens ans, comme une bonne & forte teinture, qui a penetré jusqu'au fond.*

Sed

(vv) Plut. l. c.

(x) Qua pietate hinc juvenes venerati sint senes hos patres, Aulus Gellius L. II. c. 15. lepide descripsit.

(y) v. Meursii Miscell. Lac. L II.

(z) v. Ejus Histoire ancienne Tom. II. p. 444,

Sed non est, qvod his diutius inhæreamus, qvum nec nostris defint  
scholis juvenes, qvi in spem atque emolumenta patriæ feliciter efflo-  
rescunt. Vindicant ad se hanc laudem potissimum

JO. GODOFREDVS KRETZSCHMARVS, Wehlen Misn. &

JOANNES ANDREAS VOGTLAENDERVS, Hohenbussen Misn.

ut pote qvi tam egregia ratione in philologicis historicis ac philosophicis  
rebus rite cognoscendis atqve tractandis omne studium suum posue-  
runt, ut utriqve jam curriculum egressuri scholasticum multa cum laude  
ad sublimiora concendere queant. Priusquam autem ex hac nostra Mu-  
farum sede discedent & ad sanctiora se conferent studia, Patronis, Præ-  
ceptoribus & amicis suis de meliori sese commendabunt; alter qvi-  
dem Wittebergam abiturus carmine germanico, premissa oratione, qva  
plurimas Lycurgi leges atrocissimas fuisse evincet; alter contra, qvi iisdem  
se studiis sanctioribus in posterum Lipsiaz mancipabit, germanica oratione  
hoc pietatis exequetur officium, posteaqvar declamatione græca qvæ-  
dam Carthaginiensium instituta excusserit & prudentie civili & reipublicæ  
saluti admodum contraria. Qvorum abitum piis votis & precibus pro-  
seqvetur

JO. GEORGIVS VOGTLAENDERVS, Hohenbussen Misn.

tam virtutis qvam litterarum & sapientiæ studiis apprime commendabi-  
lis, habita oratione germanica, qva Mosaicarum legum præ Græcorum Ro-  
manorumqve præscriptis commonstrabit præstantiam. Qvas ad orationes  
benevole audiendas ut litterarum Patroni atqve Fautores perbenigne  
compareant, qvam possum humanissime precor. Dabam e Fran-  
ciscaneo Misenensi, die 17. April. CIC IC CC XXXIX.

